



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 65. An & qualiter sponsalia dissolvantur ob superveniens impedimentum matrimoniale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

damnosum sit, sive pars culpabiliter, sive inculpabiliter omiteat contrahere; quodque Pontifex in *cit. c. fecit*, declarando liberum ab obligatione, per quem non fiat Sponsalia perfici, non meminerit, an per culpabilem an inculpabilem moram faciat, ad *reg. illam 66.* dicit illam locum habere in promissione libertatis, legatis, testamentis, institutionibus &c. in quibus jus benignè interpretatur voluntatem concedentis, ne is velit donatione privare eum, sine cuius culpa conditio requisita non ponitur; quod ad contractus onerosos extendi non debet. Ad *reg. 41.* dicit, quod loquatur de pœna contrahenda, sive ex conventionem, sive ex lege; cum hæc non afficiat eum, per quem inculpabiliter stetit non fieri, quod faciendum.

Porro ad dignoscendum (dum non constat de intentione contrahentium) num terminus adjectus ad finiendam obligationem, an verò ad finiendam potius dilationem sollicitandamque expletionem obligationis, Castrop. *omissis regulis*, quas affert Sanch. *d. 53. num. 3.* tanquam minus firmis, recurrendum ait ad motiva, ob quæ præfixus terminus, nimirum, ut si utraque pars, vel ea, quæ cupit diem adjici, mota ad hoc fuit, quia sibi expedit, vel cum hac, vel cum alia, quæ sibi offertur, contrahere matrimonium intra illud tempus, quod timeatur neglectis illis matrimonii, non inventurus postea aliud ita commodum, tunc censetur dies adjectus ad finiendam obligationem; si verò moti ad statuendum diem, ne aliqua ratione matrimonium, quod maxime cupiunt, impediatur, dies adjectus censetur solum ad sollicitandam obligationis impletionem.

*Quæst. 65. An & qualiter Sponsalia dissolvantur ob superveniens impedimentum matrimoniale.*

1. **R**esp. primò: Ob superveniens impedimentum tantum impediens, excepto voto religionis & castitatis Sponsalia non solvuntur etiam ex parte innocentis; cum nullum præter dictum impedire matrimonium, egerique dispensatione, sit probabilissimum. Castrop. *p. 26. n. 1.* citatis Sanch. *l. 1. d. 56. num. 3.* Cön. *d. 23. du. 5. n. 36.* contra Gutt. *de mat. c. 31. n. 2.*

2. **R**esp. secundò: Ob superveniens impedimentum dirimens. V. G. affinitatis, cognationis solvuntur Sponsalia ex parte innocentis; huic siquidem ad resiliendum sufficiens data est causa per appositionem impedimenti reddentis matrimonium impossibile; ita etiam, ut hæc ratione acquirendo jus resiliendi non teneatur admittere dispensationem à potente dispensare oblatam. Castrop. *num. 2.* Cöninck. *num. 37.* Apponentis verò impedimentum obligatio, etsi durante impedimento sit suspensa, non est sublata; sed sublato per dispensationem impedimento, tenetur stare promissis, si innocens velit; quia æquum non est, ut commodum, nimirum immunitatem, à fide præstita referat ex culpa sua. Castrop. Cöninck. *LL. cit.* Sanch. *d. 56. in fine.* Gutt. *d. 32. num. 2.*

Porro apponentem absolutè teneri procurare dispensationem altero exigente; eò quòd, cum ex justitia tenebatur contrahere matrimonium, adeo-

que ei contrahendo non ponere impedimentum, jus alterius ponendo hoc impedimentum læsum à se & alià viâ non reparabile, ex justitia teneatur reparare; idque etiam si impensæ magnæ sint faciendæ pro impetranda dispensatione, dum ex aliâ solitæ sint fieri in hujusmodi dispensationem, tenet Castrop. *num. 4.* citans Ledesm. *de mat. q. 43. caus. 3.* quos sequitur Krimer. *num. 322.* contra Filiuc. *de mat. c. 8. q. 8.* Libertatem ab hac obligatione ponentem impedimentum, ubi pars altera notabile damnum non patitur, ex omissione matrimonii, item contra Sanch. Cön. Gutt. *LL. cit.* & alios, in quantum negant teneri illum ad hoc, extra casus, ubi quis fœminam spe matrimonii deflorasset, gravemque fœmæ jacturam, si nuptiæ non sequantur, ei intulit, dum dispensatio hæc sine difficultate & magnis sumptibus impetrari nequit; eò quòd obligatio contracta ex Sponsalibus urgeat solum ad adhibenda pro executione media necessaria & facilia; ad quod tamen bene respondet Castrop. neminem quidem vi Sponsalium obligationem esse ad procurandam dispensationem impedimenti dirimentis, multoque minus ad procurandam illam magnis sumptibus & via difficili; bene tamen ad hoc obligati aliquem ex iniqua & injusta impedimenti appositione, respectu cuius, & juris alterius per hoc læsi dispensatio non est medium extraordinarium, sed ordinarium per se requisitum.

*Quæst. 66. An & qualiter solvantur Sponsalia ob superveniens notabilem mutationem ex parte Sponsi vel Sponsæ.*

**R**esp. Solvuntur (intellige ex parte illæsi, ita ut is resiliere possit) ob quamlibet causam novam rationabilem & mutationem notabilem contractis Sponsalibus superveniens, dum ob eam notabiliter difficilior redditur matrimonium, sive dum ea talem inducit difficultatem, ut merito quis prudentum judicio, si ab initio exstitisset & cognita fuisset, Sponsalia non contraxisset; eò quòd promissio non obliget ultra promittentis intentionem; nemo autem præsumatur se obligate voluisse ad casum tam difficilem, ut ob eum præcognitum quivis prudens & cordatus à promissione matrimonii abstinuisset, Pirh. *h. t. num. 65.* Laym. *l. 5. sum. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 18.* Sanch. *l. 1. d. 62. num. 3.* Arg. *c. quemadmodum. de jurejur.* procedit id ipsum, etiam si Sponsalia jurata sint; cum juramentum afficiat seu includat omnes conditiones contractus, cui adjicitur. *l. fin. c. de numerat. pecun.* adeoque imbibat hanc tacitam conditionem; rebus in eodem statu permanentibus. Castrop. *p. 79. num. 3.* Pirh. *l. c.* Sanch. *num. 4.* unde nec opus in hoc casu petere relaxationem juramenti, ut iidem. De cetero Sponsi vel Sponsæ afferenti, se non fuisse contracturum Sponsalia, si talis ab initio exstitisset, & nota sibi fuisset, in utroque foro fidem habendam esse, dum expensis circumstantiis verisimile est, revera non contracturum Sponsalia, si dicta causa ei cognita fuisset, docent Castrop. *num. 2.* Gutt. *c. 31. n. 9.* Pirh. Laym. *LL. cit.* Sanch. *num. 6.* idque vel maxime, si juramento confirmarent; cum in his, quæ ad animum spectant, ut sunt

sciens